

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dan. Stalii Regulae Philosophicae explicatae & Orationes aliquot

Stahl, Daniel

Jenae, 1662

Regularum Philosophicarum Disputatio XI. continens Regulas XV. pertinentes ad doctrinam Simplicis et Compositi, Totius et Partis

urn:nbn:de:bsz:31-102400

SIMPLICIS ET COMPOSITI,
II. TOTIUS ET PARTIS.

Statuunt vulgò Metaphysici, affectionis entis esse duplices: *quasdam ita conjunctas*, ut eas immediatè sequantur, vel saltem non mediante aliquâ affectione simplici: hujusmodi sunt secundùm illos *actus & potentia, causa & effectum*, de quibus hæcenus Regulas proposuimus & explicavimus. *Quasdam autem simplices*, quibus mediantibus competant enti quædam affectiones conjunctæ. Simples affectiones recensentur vulgò: *Unum, Verum, Bonum*. Ratione unitatis enti multa conveniunt: nempe cum unum consistat in indivisione, est I. aliquid *indivisum & actu & potentia*, h. e. ut nec divisum sit actu, nec potentia, & hoc dicitur *simplex*; Aliquid autem est *indivisum actu tantum*, h. e. dividi quidem potest, actu autem divisum non est, & hoc dicitur *compositum*. II.

Cum

Cum
positio
do firm
mus; v
ponitu
simplex
cerner
autem
compi
mus. I
sentia
habeb
ipsi su

I. A
pus co
est co
pore,
quod
prius
ra, po
vita. C
ma, n
natur
rius.
neran
nullu

Cum compositum consideretur vel in oppositione privativâ aut negativâ, quomodo simplici opponitur, sicut modò diximus; vel relativâ, quomodo partibus opponitur, & dicitur *totum*: Hinc Regula *simplex & compositum, totum & partes concernentes proponendæ sunt*. Quomodo autem & alii Tituli sub doctrinâ unius comprehendantur, in sequentibus aperiemus. Hæc Disputatione vel Titulo totus essentialis & integralis præcipuè rationem habebimus. Nam de universali, & partibus ipsi subjectis, peculiariter erit agendum.

REGULA I.

Simplex est prius compositò.

I. Atqui anima, inquis, est simplex corpus compositum; neq, tamen anima prior est corpore. Non est, inquam, prior tempore, sed potius corpus sic est prius animâ, quod vel ex historiâ creationis constat; prius enim Deus fecit corpus ex limâ terræ, postmodùm ipsi inspiravit spiraculum vitæ. Quod si jam tempore posterior est anima, naturâ prior esse nequit: nullum enim naturâ prius, potest eò esse tempore posterioris. Loquor autem *de ordine nature generantis*; nam *de ordine nature insidentis* nullum dubium est, quin multa composita

simplicibus sint priora, idque patebit ex Regulâ sequenti, estque sic homo prior animâ. Quantum ad prioritatem notitiæ, aut ordinem doctrinæ, neque sic simplex perpetuò compositò prius est: quod vel inde patet, quod in Physicis prius agitur de corpore naturali in genere, de cœlò, elementis & mixtis inanimatis, quæ composita sunt, quàm de animâ. Quid igitur, dicet, an non simplex est posterius compositò?

II. B. Simplex potest comparari vel cum compositò indifferenter, sive compositum illud ex simplici istò constet, (quomodo anima sese habet ad hominem) sive ex illò non constet, (quomodo anima sese habet ad corpus: corpus enim ita compositum est, & anima simplex, ut tamen illud ex hâc non sit compositum. Hòc modò etiam Angeli sunt simplices, & homo compositus: quia homo ex Angelis non componitur, sicut nec aliò modò ab ipsis dependet) & hâc ratione non omne simplex est prius compositò, uti rectè probatum est §. *preced.* Deinde comparatur simplex cum compositò, quod ex illò constat sive compositum est: & sic omne simplex prius est compositò, ut e. c. anima prior homine. Et quia simplex comparatur ad compositum, quod ex eò compositum est, habet se ut pars ad

totu
sitò id
ideo p
ulteri

III.
moria
brica
omni
ter al

A
C
I

Major
omne
quò q

IV.

jorem
enim

plicis
mas;

is no
jus no

nenfer
rop:) e

bent,

locis f
pronu
mâ cor

totum, estque propterea de ipsò & compositò idem dicendum, quod de parte & torò; ideò prioritas inter simplex & compositum ulterius explicabitur in *Reg. seq.*

III. Johannes Goropius, Patrum memoriâ. persuadere omnibus voluit, Cimbricam sive Germanicam nostram linguam omnium primam esse & antiquissimam, inter aliâ hòc usus argumentò:

Lingua simplicissima est prima.

Germanica nostra est simplicissima.

E. est prima.

Majorem roborat nostrò axiomate, quòd omne simplex antecedit compositum, & quòd quid simplicius eò etiam aliis prius sit.

IV. Verùm ex hæcenus dictis patet, Majorem non esse universaliter veram. Quid enim? Si maximè lingua aliqua esset simplicissima, s. e. haberet voces simplicissimas; si tamen aliarum linguarum voces ex iis non componerentur, ex simplicitate ejus non posset prioritas ejus colligi. Chineses (inquit Lipsius in *Epistolâ contra Gorop.*) ecce plerasque voces hodiè unissyllabas habent, earque variæ significationis (ut ex iis locis scribunt) nec nisi accentu, aut tònò in pronuntiando discernendas. Itaque ii de palmaria certent.

V. Cer-

V. Certum autem est, Goropium loqui de prioritate temporis, Plurima sunt simplicia, quæ licet naturâ sint priora compositis, tempore tamē priora non sunt: omnis enim forma formatō naturâ prior est, sed tempore prior non est. Minorem Goropii propositionem examinare instituti nostri non est. Videatur *Christianus Beermannus in manud. ad Lat. Ling. cap. V.*

VI. Notandum autem ulterius, dici aliquid simplex dupliciter: 1. *absolute*. 2. *relative*, nimirum id, quod minus est compositum: quemadmodum minus universale comparatione ad id, quod magis universale est, singulare dicitur. Regula non tantum est intelligenda de simplici absolute, sed & relative sic dictō: quemadmodum corpus organicum licet compositum sit, simplex tamen dici potest respectu hominis, qui ex eō componitur, cum eo simplicius sit. Et hęc ratione prius quæque est.

REGULA II.

Pars est prior totō,

I. Primò Regulam quibusdam conclusionibus explicabimus, deinde quæ obstare ipsi videbuntur, removebimus. Sic ergò Conclusio I. *Quædam pars tempore prior est*

est totō
tet, qu
dunt d
& corp
ab an
tuat.

quia fo
cujus p
mul e
quo a
bos, &

II.

secunda
ut fun
quàm
pides
mo; u
sunt.

lapid
domu

III.

totō.

tuent

five c

à part

clusio

Regu

rate

IV.

est toto, quaedam simul est. Prius illud patet, quia ligna & lapides tempore antecedunt domum, quæ ex iis constituitur. Sic & corpus humanum prius formatur, quàm ab animâ informetur, & animal constituat. Posterius etiam manifestum est, quia forma formato, ut anima bovis bove, cujus pars est, non prior tempore, sed simul est. Nullum liquidem tempus est, quo anima bovis sit, & non sit simul ipse bos, & vice versâ.

II. Loquimur autem de toto & parte secundum entitatem eorum absolutam. Nam ut sunt formaliter totum & pars, hæc nunquam tempore prior illò est. Ita licet lapides, ut lapides, tempore sint priores domo; ut tamen partes ejus sunt, priores non sunt. Det enim mihi aliquis tempus, quo lapides actu sint partes domus, ut tamen domus non sit.

III. Conclusio II. *Pars est natura prior toto. Ordine naturæ generantis sive constituentis, inquam.* Nam in generatione sive constitutione rerum totum dependet à partibus, non partes à toto. Hæc conclusio est principalis hîc, loquiturque Regula imprimis de hâc naturæ prioritate.

IV. Conclusio III. *Totum est natura prior*

prius parte, ordine nimirum naturâ intendentis. Quam conclusionem perspicuè tradit Aristoteles *I. de part. animal. cap. I. Quæ posteriora, inquit, sunt generatione, naturâ priora sunt, & quod primum naturâ est, id ultimum est generatione: non enim ades lapidum aut laterum gratiâ sunt, sed hæc adium gratiâ.* Ubi expressè ea, naturâ priora vocat, quæ priora sunt ordine intentionis, suppeditatque nobis pro nostrâ conclusione hoc argumentum.

Propter quod aliquid est, illud naturâ prius eò est.

Sed propter totum partes sunt, & non propter partes totum.

E. totum est naturâ prius partibus.

Nimirum, in intentione partes à totò dependent, & non totum à partibus: expectantur enim propter totum, & non totum propter illas. E. ordine intentionis posteriores sunt, & totum prius. Vide quæ circa *Partis Prioris Diss. IIX. Reg. V.* diximus.

V. De ordine dignitatis res facilis est. Sit igitur Conclusio IV. *Totum est dignius quâlibet parte, quia quâlibet parte perfectius est, propterea, quod cuiuslibet partis & omnium partium perfectionem includit: quâlibet autem pars per se considerata propriam*

am tan
rum au
VI. C
fit Con
gnition
dum au
distin
gnition
cognos
mnibus
ergò pa
stinctè
admod
tum no
teriora
tum ve
tionis co
ficiam
partes
longin
antem
raph. ca
ista, a
ne, &
tenda
VI. di
bis. Pa
tum au
ex cis,

am tantum perfectionem importat, aliarum autem perfectionem non includit.

VI. Quod attinet ordinem cognitionis, fit Conclusio V. *Pars est prior toto ordine cognitionis*, vel *Pars est notior toto*. Distinguendum autem inter cognitionem *confusam* & *distinctam*. Pars est prior toto, ordine cognitionis *distincta*. Res enim distinctè non cognoscitur nisi perspectis & cognitis omnibus iis, quæ in ipsâ includuntur. Cum ergo partes in toto includantur, sine iis distinctè totum cognosci non poterit: quemadmodum ædificium distinctè tibi cognitum non est, nisi minima quæque, tum interiora, tum exteriora ejus lustraveris. Totum verò est prius partibus ordine *cognitionis confusæ*, sicut prius cognoscimus ædificium confusè, quàm distinctè singulas partes: quod vel inde apparet, quod à longinquò illud confusè videamus, non autem distinctè. Videatur Fonseca *I. Method. cap. II. q. II. s. I.* Videntur autem duo ista, aliquid aliquò prius esse cognitione, & esse notius eò, idem esse. Ubi repetenda fuerit ex *Pars. Prioris Disp. IV. Reg. VI.* distinctio inter notiora *naturâ* & *nobis*. Partes enim *naturâ* sunt notiores; Totum autem est notius *nobis*: quod quidem, ex *his, Regula* explicatione facilè intelliges & de.

& demonstrabis, cum partes respectu totius habeant rationem causæ, nempe intertæ.

VII. Cæterùm cum duplex sit totum, quoddam *actuale*, quod scilicet ex partibus constituitur, & eas actu includit: quale est totum *essentiale* & *integrabile*; quoddam *potentiale*, quod à partibus non constituitur, sed potius eas constituit, easque potentiam tantum includit: quale est universale, ut genus respectu speciei; Loquitur Regula, & nos hæcenus locuti fuimus de toto actuali, nempe essentiali & integrali, & partibus essentialibus & integralibus, ipsis respondentibus. Hæ ipsæ enim partes priores sunt toto, hoc ipso, quod totum constituunt.

VIII. De toto autem universali sive potenciali, & partibus ejus, quæ *subjectivæ* appellantur, (quales sunt species respectu generis, & individua respectu speciei) diversa est ratio. Quia enim partes *subjectivæ* non constituunt totum universale, sed potius ab eo constituuntur, (sicut homo non constituit animal, sed ab eo constituitur) ideo totum universale potius prius partibus est, & non partes ejus priores ipso. Sed hæc de re in Disp. seq. circa illam Regulam: *Genus est prius specie.*

IX. Sed

IX.
aliis
non su
spectu
quem
tium i
malite
toto n
partes

X.
dum fi
fimi, c
quanti
les uni
les poss
festa.

nascun
eis, qu
posteri
nascen

XI.
rat. P
pales
totum
grale
partes
tem cu
totum
esse no

IX. Sed sciendum hîc & istud, in hîc & aliis totius & partium attributis partes non sumi respectu cujuslibet totius, sed respectu totius cujus formaliter partes sunt: quemadmodum & totum respectu partium illarum sumitur, ex quibus ipsum formaliter constituitur. Partes sunt priores totô non quôlibet, sed eô, cujus formaliter partes sunt.

X. Ex quô judicari potest, quid sentiendum sit de sententiâ Scheibleri, Viri doctissimi, qui *Top. aap. XXVIII. can. I.* statuit, *quantum ad totum integrale, partes principales universim esse priores, sed minus principales posse esse eô posteriores.* Et videtur res manifesta. Nam *cornua, dentes, pili, pluma &c. adnascuntur animalibus in esse constitutis, sicque eis, quorum partes sunt, sed minus principales, posteriora existunt.* Idem patet de *ramo adnascente arbori.*

XI. Verùm hâc exceptione opus non erit. Partes enim integrales minus principales possunt esse posteriores totô, *ut est totum essenziale, aut etiam ut est totum integrale, simpliciter consideratum.* At non sunt partes totius hîc modô sumti. Totô autem cujus partes sunt, & secundùm id, quod totum est ex iis constitutum, posteriores esse non possunt. Consideremus exemplum

QQ

de

de animali & dentibus: animal est totum non essenziale tantum, sed & integrale, antequam dentes ipsi adnascuntur, & sic dentes sunt posteriores eò, ut totum essenziale, & ut totum integrale simpliciter est; sed sic dentes non sunt ejus partes. At ut dentes partes ejus sunt, & ut animal tale totum integrale est, nempe ex dentibus tanquam partibus constitutum, sic dentes non sunt eò posteriores. Consideratis enim dentibus, ut partes sunt animalis, totum non est animal, nisi ut dentatum: at dentes non sunt posteriores animali dentatò. sive totò illò, quod ex animali & dentibus componitur, quemadmodum nemini non potest esse perspicuum. Et licet dentes non sint necessariae partes ad dandum esse animali, quod compositum sive totum est, sunt tamen simpliciter necessariae ad dandum esse dentatum, vel ut sit hujusmodi compositum sive totum, quod ex dentibus constat. Eadem ratio est cornuum, pilorum, plumarum, ut & rami arbori adnascantis.

XII. Sed ulterius objicitur:

Relata sunt simul naturâ.

Totum & pars sunt relata.

E, totum & pars sunt simul naturâ,

& per

& per
1010.

XIII
esse sim
relativ
tenus
solutio
tur mir
tum &
quæ par
relatio

I. Pa
ut simul
illarum
do totu
quemac
num no
& artub
Loquit
riori m
libet par

II. E
nota ex
nomini
hoc ipse
te majus
concipi

& per consequens *pars naturâ non est prior*
2010.

XIII. R. Concedendô, totum & partem esse simul naturâ, quatenus considerantur relativè. & hoc probat argumentum. Quatenus verò secundùm entitatem suam absolutiorem considerantur, & tenus negatur minor: absolutè enim considerata totum & pars, non sunt relata, sicut materia, quæ pars est substantiæ, non est relatum, relatione scilicet prædicamentali.

REGULA III.

Totum est majus partibus.

I. Partes considerantur dupliciter: vel ut simul sumæ & unitæ, vel ut unaquaque illarum per se & scorsim sumitur. Priori modo totum iis non majus est, sed æquale: quemadmodum homo vel corpus humanum non est majus capite, thorace, ventre & artubus, si ista omnia simul sumantur. Loquitur ergò Regula de partibus posteriori modò sumtis. *Totum est majus quàm libet parte, sive partibus scorsim sumtis.*

II. Est autem veritas hujus axiomatis nota ex terminis: qui enim intelligit, quid nominibus totius & partis significetur, hoc ipso intelligit, totum esse quavis parte majus. Cum enim totum concipimus, concipimus aliquod excedens; & cum

QQ 2 par-

partem, concepimus id, quod exceditur. Et certè ablata à totò aliqua pars, quæcunque sit, adhuc aliquid ejus relinquit; quod non fieret, nisi parte majus esset.

III. Porrò cùm majus & minus importent formaliter inæqualitatem, (quemadmodum quod alteri inæquale est, quatenus inæquale est, majus ipsò est vel minus) & verò æqualitas & inæqualitas fundentur in quantitate, sicut habet Aristoteles in *prædic. quantitatis*, sciendum, quantitatem juxta Augustinum *VI. de Trinit. cap. VII. & VIII.* esse duplicem, *molis & virtutis*. Illa constituit peculiare prædicamentum, & consistit in extensione. Hæc autem est perfectio cujusque rei, diciturque ab eâ ipse Deus in Scripturis magnus. A quantitate utròque modò dicta dicitur æquale & inæquale, sive majus & minus. Dicitur enim majus aliquò, quod dimensione aut quantitate molis alterum excedit: ut *major linea, majus corpus*. Dicitur etiam majus, quod est perfectius, sive quod alterum perfectione excedit: quomodo Christus dicit, *Patrem se esse majorem*.

IV. Ut autem vox hæc *Quantitas* propriè & ratione originis suæ significat quantitatem molis, traducta postmodum ad perfectionem cujusque rei: Sic & de totò quan-

titate

titate
molis
patur
toti e

V. H
libet p
major

semip
ratio
cujus

quimu
& prop
molis.

majus
cùm t
specu
tium, i

quant
quant
nis, v

extens
quant
mater
molis.

pore s
totius
respec
etiam
quant

titativò sive integrali, quod quantitatem molis importat, Regula nostra primò usurpatur; accommodari tamen etiam potest toti essentiali.

V. Est igitur totum integrale majus quâlibet parte, quantitate molis: ut homo est major manu, capite, pede; palmus major semipalmò; denarius major senariò. Et ratio est clara, quia totum integrale est id, cujus quantitas à partium quantitate (loquimur de quantitate molis) constituitur, & propterea hòc ipsò est majus quantitate molis. Totum essentialiale autem non est majus quantitate molis. Et ratio est, quia cum totum essentialiale physicum dicatur respectu materiæ & formæ, tanquam partium, in hujusmodi autem totò nulla detur quantitas molis, nisi materiæ, & formæ vel quanta & extensa non sit, ut anima hominis, vel quanta & extensa sit quantitate & extensione materiæ, & sic ipsi nullam addat quantitatem, non potest totum essentialiale materiâ aut formâ majus esse quantitate molis. Ita e. c. taurus non est major corpore suò, aut animâ suâ. Ratio autem, totius essentialis logici, quale est species respectu generis & differentię, cum in iis etiam rebus reperiatur, quæ non sunt quanta quantitate molis, ut in substantiis

QQ 3 sepa-

separatis, & præterea partes importet solâ ratione distinctas, nec in eò inæqualitas aliqua, quæ quantitatem molis concernat, attendi potest. Est tamen totum essentialè majus quâlibet parte essentiali, quantum ad quantitatem virtutis. Est enim totum essentialè physicum perfectius tam formâ, quàm materiâ: ut homo tam animâ, quàm corpore, quemadmodum ex *Conclusione V. Reg. præced.* constat. Species quoque, quæ totum essentialè logicum appellatur, est perfectior & genere & differentiâ: ut *Disp. seq.* ostendemus.

VI. In totò universalì, ut in genere respectu specierum, etiam non attendi quantitatem molis, patet jam ex *S. præced.* Quantum ad quantitatem virtutis sive perfectionis, partes totius universalis, quæ subjectivæ dicuntur, potius sunt majores, id est, perfectiores totò, sicut jam diximus de specie, quæ est pars subjectivæ generis tanquam totius universalis.

VII. Videtur tamen & in totò universalì quodam modo attendi posse quantitatem quod ut illustretur, sciendum, sicut quantitas molis sive propriè dicta importat extensionem, quâ substantia, cui inest, tanquam subjectum extenditur: Ita per analogiam quandam, seu ratione analogicâ

cujus-

cujus
cem qu
dari: qu
titatem
versaler
notum
gia in h
tatem n
partium
signific
prouc r
ea, qua
dit vel r
falis di
tate sec
râ puto
modo
nempè
nis, seu
quitur,
dicabili
ad præ
quàm p
animal
ra se ex
mine fo
fit, de q
IIX.
mus. nò

cujusdam extensionis, posse & ad alia ve-
 cem quantitatis quodammodo accommo-
 dari: quemadmodum propositionibus quan-
 titatem tribui, ejusque ratione aliam uni-
 versalem, aliam particularem dici, pueris
 notum est. Consistere autem illa analo-
 gia in hoc videtur, quod sicut per quanti-
 tatem molis substantia extenditur ratione
 partium: ita in propositione prædicatum
 significatur extendi ratione subjecti; &
 prout ratione prædicationis vel ad omnia
 ea, quæ sub subjecto continentur, se exten-
 dit vel non extendit: ita propositio univer-
 salis dicitur vel particularis. A quanti-
 tate secundum ejusmodi analogiam sum-
 rã puto & totum universale posse quodam-
 modo majus dici partibus subjectivis,
 nempe quoad amplitudinem prædicationis,
 seu, ut Durandus *I. dist. XIX. q. IV.* lo-
 quitur, *secundum ambitum continentie præ-*
dicabilis, h. e. propterea, quod, quantum
 ad prædicationem, ad plura se extendit,
 quam partes subjectivæ: quemadmodum
 animal quantum ad prædicationem ad plu-
 ra se extendit, quam homo, cum nõ de ho-
 mine solum, sed & de brutis prædicari pos-
 sit, de quibus homo prædicari non potest.

IIIX. Verum antequam ad alia transeam-
 mus, nõ prætereunda videtur objectio, quæ

sumitur ex v. XIII. Cap. VI. Job. ubi legitur, quod ex quinque panibus, quibus unà cum duobus piscibus Christus fere 5000. viros cibavit, superfuerint duodecim cophini fragmentorum. Hinc tale potest fieri argumentum:

Quinque panes fuerunt minus, quam eorum fragmenta, quae duodecim cophinos implebant.

Quinque panes fuerunt totum respectu illorum fragmentorum, fuerunt enim haec fragmenta partes residuae quinque panum.

Ergo quoddam totum est minus partibus.

IX. Nonnulli ex hoc argumentò voluerunt probare; Theologiam pugnare cum Philosophiâ, quemadmodum videre est apud Græverum in *Tract. de simpl. & una verit. circa finem*. Philosophia enim docet totum esse majus partibus. At ex citatâ historiâ colligebant illi, totum aliquando fuisse minus partibus,

X. Sed argumentum istud non est tam robustum, ut aliquam inter Theologiam & Philosophiam pugnam excitare possit. Pro solutione reperendum ex *Reg. preced.* partes non cum alienò, sed cum suo totò, cujus reverâ & formaliter partes sunt, comparari debere. Possunt igitur quinque illi panes

nes d
erant
divina
man f
aucti.
tur mi
tum re
ut se
fitione
mirac
tem p
que e
vinâ,
ta, lic
nem f

Tot

I. T
dam
dam
nem.
totiu
dem
curra
munc
fenti
ment
les pl

nes dupliciter considerari: 1. in se, quales erant per naturam ante benedictionem divinam; 2. ut post benedictionem divinam supra naturam & miraculosè erant aucti. Si priori modò sumantur, negatur minor: quinque enim panes erant totum respectu illorum fragmentorum, non ut se naturaliter habebant ante benedictionem, sed ut jam per benedictionem miraculosè fuerunt aucti. Si sumantur autem posteriori modò, negatur major: quinque enim panes jam aucti benedictione divinâ, non erant minus quàm illa fragmenta, licet minus fuerint, ut ante benedictionem sese habebant.

REGULA IV.

Totum & partes sunt in eodem prædicamentò.

I. Totum est in duplici differentia: quoddam est *ens per se*, ut homo, lapis &c. quoddam est *ens per accidens* aut per aggregationem. Loquitur Regula de priori genere totius. Illud nimirum & partes ejus ejusdem sunt prædicamenti; quanquam occurrat diversitas in modò. Nam juxta communem sententiam, totum integrale & essentialiale sunt per se & directè in prædicamentò, partes autem integrales & essentialiales physicæ, reductivè tantum. **Quantum**

QQ 5

ad

ad totum essentialē logicum, quale speciem respectu generis & differentiæ esse diximus, ipsum & genus eodem modo sunt in prædicamento. Ut homo & animal directè sunt in prædicamento substantiæ. Differentia verò indirectè in prædicamento est, quâ de re vide alios. Constat autem ex hisce etiam, quid de toto universali & partibus subjectivis sit sentiendum. Jam enim diximus, genus & speciem esse eodem modo in prædicamento. Hujusmodi igitur totum, & partes ipsi respondentes, eodè modo in prædicamentis collocantur.

II. Quantum ad posterius totius generis totum, ut totum, non est in prædicamento, sed reducitur ratione partium ad prædicamentum, & potest constare ex partibus diversorum prædicamentorum. Ita concreta accidentium, ut album, Musicum, sunt entia per accidens, & significant tam id, cui accidit, quod est substantia. ut homo, quàm id, quod accidit, quod est accidens, ut albedo, Musica, &c. secundùm Aristotelem VII. *Metaph. cap. VI.* & non sunt in prædicamento (quod testatur Aristoteles III. *Top.* cum dicit, *justum non esse in genere, sed justitiam*) nisi reductivè ratione partium: quemadmodum album ratione albedinis ad prædicamentum qualita-

litatis
bus ar
Vide F

Qu

Proc
Lib. XI
partes
omind
tes elem
senten
ostend
ritui o
rum, e
tes mu
di, qua
iam pa
eunt,
cedit
eunt, s
falsū e

Omne
non

litas reducitur. Idem dicendum de rebus artificialibus ut statuâ, mensâ, &c. Vide *Fonsecam V. Metaph. c. VII. q. V.*

REGULA V.

Quicquid est pars partis, est quoque pars totius.

Proclus, ut videre est apud Pererium, *Lib. XV. cap. VIII.* videtur asserere, *omnes partes mundi esse aternas, concedens nihilominus, elementa esse partes mundi, & partes elementorum esse interitui obnoxias.* Hanc sententiam esse absurdam, ex hâc Regulâ ostendi potest. Si enim aliqua, quæ interitui obnoxia sunt, sunt partes elementorum, etiam aliqua, quæ intereunt, sunt partes mundi: quia elementa sunt partes mundi, quæ autem sunt partes partium, sunt etiam partes totius. At aliqua, quæ intereunt, sunt partes elementorum, uti concedit Proclus. E. etiam aliqua, quæ intereunt, sunt partes mundi: & per consequens falsû est, omnes mundi partes esse aternas.

REGULA VI.

Omne totum aliquô modò multum est, & non unum. Scaliger *Exerc. LXV.*

Seç. II.

REGUL

Omne totum est unum.

I. Utrumque significat Philosophus V. *Metaph. cap. XXVI. Totum*, inquit, dicitur, *cujus nulla pars eorum abest, ex quibus naturâ totum nominatur, & quod ita continent ea, que continentur, ut illa sint unum.* Ubi expressè dicit, *partes in toto esse unum.* Est totum sæpè unum per se, ut homo, lapis; interdum per accidens aut per aggregationem, ut album; simum, exercitus. Quando dicit, quod *totum contineat ea, que continentur*, pluralitatem quandam significat, & sic totum quodammodò plura est.

II. Non pugnant autem istæ propositiones inter se. Totum enim multa est aliquò modò, *ratione partium*: siquidem nullum totum ex unâ fit parte, sed ad minimum duæ requiruntur. Dominicus de Flandria V. *Metaph. q. XXII. art. II* hoc utitur argumentò: *Si aliquod totum fieret ex unâ solùm parte, sequeretur, aliquod totum non esse majus parte.* Est autem omne totum unum, *ratione unionis inter partes.*

III. Objicis: *Si totum non est suæ partes, ut homo nec est corpus, nec anima, sed est aliquid compositum ex corpore & animâ, sequitur, quod nec multa sit, propterea, quod partes, ut corpus & anima, multa sunt.*

IV.

D.
IV.
modò in
tum no
nimirò
ratione
de totò
men to
rùm ex
V. N
vent. I
citer: I
affirma
propri
tem pr
beat p
non es
dicitur
scilicet
modò
punctu
tum es
est tan
ceptò,
Punctu
tum, n

I. I
loquit

IV. RE. Notanda est particula *aliquò modo* in *Reg. VI.* Probat argumentum: Totum non esse multa *absolutè & in rectò*, quia nimirum ea, quæ multa sunt, & quorum ratione totum multa *aliquò modo* dicitur, de totò non prædicantur in *rectò*. Est tamen totum *aliquò modo* multa, quia nimirum ex multis constat partibus.

V. Notandum autem ulterius ex Bonavent. *III sent. dist. III.* totum accipi dupliciter: *Privativè vel negativè, & positivè seu affirmativè.* Totum positivè acceptum est propriè & formaliter totum; Totum autem propriè & formaliter importat, ut habeat partes. Totum negativè acceptum non est propriè & formaliter totum, sed dicitur sic per negationem oppositi, quia scilicet non est pars, nec partes habet. Hòc modò dicimus, *tota natura divina, totum punctum.* Quando ens dicitur, omne totum esse *aliquò modo* multa, accipiendum est tantum de totò *formaliter & positivè* acceptò, non autem de totò negativè sumtò. Punctum enim, quod negativè dicitur totum, non est *aliquò modo* multa.

REGULA VIII.

Pars non predicatur de totò.

I. Ita Philosophus *IV. Top. cap. V.* Non loquitur autem Regula de totò essentiali logi-

logico & partibus ejus, & per consequens nec de toto universali & partibus subjectivis. In hisce enim certum est, partem de toto, & vicissim totum de partibus prædicari. Prædicantur enim genus & differentia de specie, & species vicissim de genere, &c. de quo plura *Disp. seq.* Ratio autem est, quia in hisce totum & partes sunt idem realiter, & solâ distinguuntur ratione. At quæ realiter idem sunt, illa de se invicem prædicantur, cum nihil aliud ad veritatem prædicationis sive propositionis affirmativæ requiratur, quam ut subjectum & prædicatum sint idem.

II. Quantum ad reliqua totius generis, partes non prædicantur de toto, quod est unum per se, nempe de toto integrali & essentiali Physico, nec totum de partibus. Non enim verum est, si dicam: *Homo est anima, homo est corpus, homo est caput, manus, &c.* Sed nec, si convertam: *Anima est homo, corpus est homo, caput vel manus est homo, verum est, eademque ratio est in aliis.*

III. Dicis: Utique vera est ista propositio: *Homo est corpus*, est enim corpus naturale. R. Corpus tripliciter sumitur. I. Ut perti-

partin
& dici
ceptio
compo
dicim
corpore
nem est
Homo a
pus est
te vive
constan
sumsit
§. 6. cur
minis,
propos

IV.
est, po
& totu
dentis
& form
cidents,
est etia
to acci
corpus,
alteran
eam &
Non en
do, aut

pertinet ad prædicamentum quantitatis,
 & dicitur trina dimensio; quæ tamen ac-
 ceptio non est hujus loci. II. Pro substantiâ
 compositâ ex materiâ & formâ: quo pacto
 dicimus, plantas, animalia, lapides, &c.
 corpora esse; & hoc modo concedo, homi-
 nem esse corpus, sive illam propositionem,
Homo est corpus, esse veram: sic enim cor-
 pus est genus hominis. III. Pro alterâ par-
 te viventis: quo pacto dicimus, animal
 constare ex corpore & animâ. Hoc modo
 sumit Aristoteles l. c. nempe IV. Top. c. V.
 §. 6. cum dixit, *corpus non posse esse genus ho-*
minis, quia pars sit. Et hæc acceptione hæc
 propositio: *Homo est corpus*, est falsa.

IV. In toto, quod unum per accidens
 est, potest aliqua pars prædicari de toto,
 & totum de parte. Ita concretum acci-
 dentis est totum, tùm constet ex subjecto
 & formâ accidentali, & est unum per ac-
 cidens, sicut §. II. Reg. IV. diximus. Por-
 est etiam subjectum prædicari de concre-
 to accidentis, & hoc de illo: ut *album est*
corpus, & *corpus est album*; sed quantum ad
 alteram partem, nempe formam, inter-
 eam & concretum nulla est prædicatio.
 Non enim possum dicere, *album est albe-*
do, aut *albedo est alba*,

V. Idem

Idem docet Aristoteles VIII. *Metaphys.* 2. 6. de rebus arte factis. Cùm enim ibi dicatur, eas esse definiendas ita, ut altera pars, nempe materia, ponatur in casu re-
 dō, ut si definiendum limen, dicendō, quod sit lapis vel lignum hōc vel illō modō collocatum, dilucidè tradit, *partem materialem predicari de totō arte factō*. Sic & plerique Interpretes docent, cum Aristoteles in lib. περ' ἔργων. nomen per vocem definit, vocem esse materiam, & sic partem nominis. Idem tamen Philosophus IX. *Metaph.* 2. 12. negat, dicendum esse: *arca est lignum*, sed dicendum, *arca est lignea*. Inde ergo, nec dicendum erit: *limen est lignum*, sed *limen est ligneum*.

VI. Faciunt alii mentionem totius & partis in modō. *Totum in modo est*, ut homo, *pars in modo*, ut homo est doctus: quæ de se invicem prædicantur. Dico enim: *Homo doctus est homo*, & *quidam homo est homo doctus*. Sed de hisce vide Philipp. Du Trier *Manuduct. Tract. IV. Part. II. Cap. II. art. IV.*

REGULA IX.

Totum prædicatur de parte.

I. Contineatur explicatio hujus Regulae in explicatione præcedentis. Ostendimus enim, non solùm non prædicari partem de totō, sed nec totum de parte, & in quibus hoc ipsum locum habeat:

II. C
 dum n
 deran
 ita, ut
 grale si
 prædic
 quod
 quilib
 III.
 9. III. i
 omnin
 ri unq
 enim u
 ut totu
 parte i
 ferri e
 totius
 Id cert
 aqua v
 pars is
 qua au
 autem
 quziib
 catio t
 aqua t
 dicatur
 tam na
 sunt q
 tegrale

II. Unum tantum adhuc, idque admodum notabile, circa hanc Regulam considerandum est. Limitant enim eam nonnulli ita, ut dicant, excipiendum esse *totum integrale simile*: Hoc enim de partibus suis prædicari posse asserunt, & probatur inde, quod quælibet particula aquæ est aqua, & quælibet pars ferri ferrum.

III. Verum nos cum Durandò II. dist. III. q. III. ibi: *ad cuius evidentiam &c.* negamus omninò totum integrale simile prædicari unquam de sua aliqua parte posse. Non enim ulla particula aquæ est illa aqua, quæ, ut totum integrale, ex illâ particulâ, ut ex parte integrali, componitur, nec ulla pars ferri est illud ipsû ferrum, cujus, tanquam totius integralis, ipsa pars integralis est. Id certè ita patet: Sit totum simile, ut aqua vel ferrum 10. librarum: nulla certè pars istius aquæ, nulla istius ferri est ista aqua aut istud ferrum 10. librarum. Quod autem quælibet pars aquæ dicitur aqua, & quælibet pars ferri ferrum, est illa, prædicatio totius universalis. Ferrum enim vel aqua tanquam species specialissima, prædicatur de partibus ferri vel aquæ, quæ totam naturam ferri & aquæ in se continent, suntq; respectu ferri & aquæ non partes integrales, sed subiectiva.

RR

RE.

Metaphys.
nim ibi
ut altera
a calore
dicendò,
ò modò
em mate-
ic & ple-
istoteles
definit,
m nomi-
Metaph.
lignum,
de ergò,
m, sed
otius &
t homo,
ux de se
a: Homo
homo do-
Du Trieu
T. art. IV.
Regulæ
ndimus
rem de
quibus

*Quicquid predicatur de parte, predicatur
de toto.*

I. Atqui I. Rationale est pars essentialis hominis: de rationali autē prædico, quod sit differentia, & homo tamen non est differentia. Ita homo est pars, (subjectiva nimirum animalis) & de homine dicitur quod sit species specialissima, quod de animali tamen dici nequit. Sic pars quoque, (ut anima) constituit totum, (hominem) & unitur cum alterâ parte, (nempe cum corpore) totum tamen non constituit totum, nec unitur cum parte: ut homo non constituit hominem, nec unitur cum corpore II. Dentes Æthiopis, qui sunt pars eius, sunt albi, nec tamen Æthiops est albus.

II. Pro responsione & explicatione Regulae sciendum, id, quod de parte aliquâ prædicatur, importare aut concernere interdum ipsam formalem rationem partis, interdum competere parti secundum entitatem absolutam.

III. Jam dico, Regulam non valere de his prædicatis, quæ important aut concernunt ipsam rationem formalem partis: & hoc probant ea, quæ in primò argumentò fuerunt allata. *Esse enim differentiam, esse*
spe

perie
forma
quide
autem

totum
ad rat
est ali

duces
tis de
tur ab

seind
autem
inde

nemp
partis
te.

his, q
solutu

IV.
essent
catur

sam d
infra

tur de
Virun
enim

lis, red
le? Qu

*speciem, sunt nomina partis, & significant formaliter aliquod genus partis: illud quidem partem essentialem logicam, hoc autem partem subiectivam. Sic consistuntur, aut cum aliquâ parte uiri, pertinent ad rationem formalem partis: per ista enim est aliquid alicujus pars. Huc videntur reducenda ea, quæ rationem formalem partis destruunt. Nam dico: *Manus abscinditur ab homine*, neque tamen dico: *homo abscinditur ab homine sive à seipso*. Destruere autem hoc prædicatum rationem partis, inde patet, quod tollit unionem partis, nempe manus cum alia parte; at ratio partis consistit in unione cum alterâ parte. Loquitur ergò Regula tantum de his, quæ competunt parti secundum esse absolutum.*

IV. Est autem omninò vera de partibus essentialibus logicis. Ut: *Quicquid predicatur de genere & differentiâ, predicatur etiam de specie*, sicuti constat, eâque de plurâ infra. Item *de subiectivis*, ut: *quod predicatur de specie, predicatur etiam de genere*, quod Virum Doctissimum negare miror. Quid enim? Annon ex eò, quod *homo est rationale*, rectè infero, *quoddam animal esse rationale*? Quamquam autem quod de una tantum

specie dicitur, non universaliter de genere prædicatur, inde tamen non sequitur, ipsum de genere non prædicari, cum & particularis prædicatio sit prædicatio.

V. Quantum ad partes essentielles physicas & integrales, de iis etiam valet, & quod de istiusmodi partibus prædicatur, prædicatur etiam de toto, sed cum discrimine: quædam enim prædicantur de toto simpliciter, ut non tantum anima, sed & homo dicitur intelligens, & non tantum corpus hominis, sed & ipse homo quantus est. Quædam autem secundum quid tantum, sive cum additamento illius partis, de qua prædicantur: ut ex eo, quod anima est incorporea, immortalis, &c. non possum dicere: *Homo est incorporeus, immortalis.*

VI. Sed quænam, quæris, simpliciter de toto prædicari possunt, quæque tantum secundum quid? Universalem limitationem tradere difficile est; interim hoc habendum: Ea, quæ de parte aliqua dicuntur, in duplici sunt differentiâ: quædam formaliter ita adstricta sunt alicui parti, ut aliis convenire non possint: quomodo crispum esse capillis, & simum naso tantum convenit. Et hæc prædicantur de toto absolute: ut ex eo, quod capilli sunt crispi, & nasus simus, homo dicitur crispus, simus. Quædam autem

tem
ad al
tere
dam
si man
dicur
di; qu
dente
re, qu
quod
hinc p
nobis

VI
eorum
toto i
quod
quiden
cum h
reum
repugn
intellig
Notan
dicunt
simplic
cum ad
mo est i
Homo
animan

tem ex naturâ suâ non sunt determinata ad aliquam partem, sed & aliis ea competere non repugnat; & horum adhuc quædam simpliciter de totò prædicantur: ut si manus vulneratur, aut tergum virgis caditur, homo dicitur vulnerari & virgis cadidi; quædam autem secundùm quid: ut quod dentes Æthiopsis sint albi, non licet inferre, quod Æthiops sit albus, sed tantùm, quod sit albus secundùm dentes. Atque hinc patet, argumentum secundùm §. 1. nobis non obstare.

VII. Sciendum autem ulteriùs puto, eorum, quæ de parte prædicantur, quædam toto ipsi repugnare: ut de animâ dicitur, quod incorporea sit & immortalis, quod quidem homini tanquàm toti repugnat, cum homo sit compositum quid, & corporeum & mortale; quædam autem toti non repugnant: ut de animâ dicitur, quod sit intelligens, quod homini non repugnat. Notanda igitur Regula: *Quæ de parte dicuntur, ita ut toti repugnent, de totò non simpliciter prædicantur, sed secundùm quid cum additione: ut falsum est, si dicam: Homo est incorporeus, immortalis; verum autem: Homo est incorporeus, immortalis secundùm animam.*

REGULA XI.

Quicquid predicatur de totò, prædicatur etiam de parte.

I. Quod dupliciter potest intelligi I. de quâlibet parte, quod scilicet id, quod de totò prædicatur, de omnibus prædicetur partibus. Hòc sensu cum nonnulli accipiant, probari inde posse credunt, animam non creari, sed per naturalem generationem propagari, ita colligentes: *Homo habet orems per generationem. E. & anima rationalis.* Consequentiam probant, quia quod dicitur de totò, dicitur etiam de quâlibet parte.

II. Nonnulli hòc utuntur argumentò: *Quicquid non denotat naturam à partibus distinctam, de eò nihil potest prædicari, quod non competat partibus.*

Totum non denotat naturam à partibus distinctam, nihil enim aliud est totum, quam partes simul sumptæ.

E. de totò nihil potest prædicari; quod non competat partibus.

III. II. Potest intelligi saltem de aliquâ parte, nempe: *Quicquid predicatur de totò, de aliquâ saltem predicatur parte.*

IV. Verùm non tantùm primus, sed etiam secundus sensus est falsus. Homo enim
textit,

textit, ædificat, &c. at dicere, *animam texere aut ædificare*, pro absurdò ducit Aristoteles *I. de animâ cap. IV. t. 64.* Ita de homine prædicatur animal, & tamen nec anima nec corpus, nec ulla corporis pars animal est. Ita homo moritur, & tamen nec anima nec corpus propriè moritur, cum mors sit interitus totius viventis. Ita propositio est vera vel falsa, & tamen nec subjectum nec prædicatum verum est vel falsum. Triangulus etiam habet tres angulos, nulla tamen pars trianguli habet tres angulos.

V. Quapropter Regula re&u;us sic posset formari: *Non omne id, quod prædicatur de toto, prædicatur de omnibus partibus.* Imò; *Non omne id, quod prædicatur de toto, prædicatur de aliquâ parte.*

VI. Volumus autem ista intellecta de *toto integrali & essentiali physico*, de quibus etiam instantiæ *preced. §.* adductæ solum loquuntur. *Totius universalis*, ut & *essentialis Logici*, alia est ratio. Quicquid enim de illò prædicatur, prædicatur etiam de partibus subjectivis, juxta ea, quæ dicuntur *in Reg. II. Disp. seq.* Et quicquid prædicatur de specie, tanquàm totò essentiali logico, prædicatur etiam de genere & differentiâ tanquàm partibus, sicut partim ex *Reg. preced.* constat, partim ex dicendis *Disp. seq.* constabit.

VII. Ad rationem §. II. facile est respondere, siquidem quilibet videt, Regulam nostram loqui de *partibus seorsim* seu *divisim sumtis*. Queritur enim, non, an omne, quod toti competit, competat partibus simul sumtis? sed, an competat cuilibet, vel saltem alicui seorsim sumta? A mediis terminus est conceptus de partibus simul sumtis: unde negatur Major. Quid enim hoc ad partes seorsim sumtas, quod totum non differt, nec denotat naturam distinctam a partibus simul sumtis? Quod si dicant illi, qui argumentò istò utuntur, se loqui de *partibus singulis seorsim sumtis*, tunc negatur minor: totum enim aliud est, quàm singulæ partes.

REGULA XII.

Positis omnibus partibus, ponitur totum.

I. *Positis omnibus partibus, secundum esse absolutam, non statim ponitur totum: quemadmodum etsi sint lapides & ligna, omnisque materia ad domum ædificandam requisita, nondum tamen domus est. At positis partibus formaliter sive inesse partium, ponitur totum.*

II. *Dicis: Si vel maximè lapides & ligna, quæ domus partes sunt, sint inter se unita, sed sine discrimine, ponuntur quidem*

dem inesse partium, nondum tamen est domus.

III. Resp. Tunc quidem ponuntur in esse partium, sed non in esse partium domus; h. e. sunt quidem partes alicujus compositi, quod quidem tunc ponitur, cum partes inter se unitæ sunt, sed non sunt partes domus. E. nec necesse est, ut domus tunc donatur. *Positis omnibus partibus ponitur totum*, illud, scilicet totum, *cujus partes sunt*: ut positis fundamentò, parietibus, tectò, &c. ponitur domus.

REGULA XIII.

Sublatà quacunque parte, tollitur totum.

I. Absolutè verum esse de *toto essentiali*. Cum enim vel forma vel materia, aut etiam genus vel differentia alicujus rei denegatur, id res hujusmodi esse non potest: ut in enthymemate non test dispositio medii cum extremis. E. non est syllogismus. Hoc animal non habet animam rationalem. E. non est homo.

II. De *partibus subjectivis* alia est ratio. Etiam si enim una vel plures species non sint acta in rerum naturâ, genus tamen actu in rerum naturâ esse potest: ut si, solus homo sit in rerû naturâ, adhuc erit animal.

III. Quantum ad *partes integrales*, dico

RR 5 nos

nos de totò illò trifariàm posse loqui: 1. ut absolutè est aliquod totum. 2. ut est tale totum, h. e. ex partibus propositis constitutum. 3. ut denominatur integrum, vel res integra.

IV. Secundùm primam acceptionem *sublatà quâcunq; parte non statim tollitur totum.* Distinguunt autem vulgò inter partes integrales principales & minus principales. Illarum quâcunq; sublatà, tollitur totum, propter hoc ipsum scilicet, quod principales absolutè necessariæ sunt ad esse totius. Harum autem (minus principalium) quâcunq; sublatà, totum non tollitur, hòc ipsò, quod minus principales non absolutè necessariæ sunt ad esse totius: quemadmodum non tollitur hic homo, abscissâ manu aut pede.

V. Juxta secundam considerationem *sublatà quâcunq; parte totum tollitur:* ut abscissâ manu vel pede, non est homo amplius tale totum, quale antè erat: non enim est totum ex manu illâ aut pede amissò confirmatum, quemadmodum amissis cornibus aut dentibus, non amplius est animal cornutum aut dentatum, quæ res clarissima est, & apud omnes indubitata.

VI. In tertiâ acceptione integrum *opponitur mutilo, ut homo integer dicitur, qui*

qui m
dus est
nbi ha
igitur
tur, c
quod t
tem ab
zord
nus la
ejus, c
losoph
bile, in
cut ex
tra
tem su
non est
specie
fit tot
riam,
sam n
quia q
net id
ut, sub
plius
zionem
five ut
bus ce
lium p
quàm
manif

qui mutilus non est. Hic proinde videntur est Aristoteles *V. Metaph. cap. XXVII.* ubi hanc materiam ex professo tractat. Ut igitur integrum tollatur, & mutilum dicatur, oculus intendendus est tum ad id, quod mutilum denominatur, tum ad partem ablata, quod Philosophus appellat *κόλλωμα*, quod Fonseca putat, quamvis minus latine, reddi posse *mutilamen*. Ex parte ejus, quod mutilum dicitur, requirit Philosophus IV. condiciones: 1. *Ut sit divisibile*, intellige *in partes ex quibus constat*, sicut explicat Fonseca, quandoquidem detractione partis constituentis, non autem subje&ivæ sit res mutila, sicut genus non est mutilum sublatâ aliquâ specie, nec species est mutila sublatô individuô. 2. *Ut sit totum*, i. e. ut maneat secundum substantiam, ablatâ aliquâ parte. Hanc ob causam nullus numerus potest dici mutilus, quia quâvis parte numeri sublatâ, non manet idem numerus secundum essentiam: ut, sublatâ unitate ex ternariô, non est amplius ternarius. 3. *Ut ejus partes habeant positionem juxta essentiam*, h. e. ordinem in totô, sive ut totius essentia non sit, nisi in partibus certô ordine dispositis. Unde res similitum partium, velut e. c. aqua aut ignis, nunquam dicuntur mutilæ, quia earum partes manifestô carênt ordine. 4. *Ut sit continuum*.

Con-

Concentum enim sive harmoniam nemo dixerit mutilam, propterea scilicet, quod continua non est, nisi forsan ita dicatur per translationem.

VII. Ex parte *κολοβαματ*, sive ejus quod deest, 1. requiritur *ut non sit pars principalis*: quoniam deficiente parte principali, non manet totum secundum essentiam: sicut sublatio capite, non est homo. 2. *Ut non sit ubicunque existens, sed in extremitate*, qualis est e. c. ansa in cantharô. 3. *Ut tota sublata non possit renasci*: quam ob causam cervos non dicimus mutilos, cum cornua depoluerunt. Vide Thomam V. *Metaph. lect. 20.* Dominicum de Flandriâ *ibid. q. XXV III. art. II.*

REGULA XIV.

Positio totò, ponuntur omnes partes.

I. Sequitur hæc Regula ex præcedenti. Nam si sublata quâcunque parte, totum tollitur, sequitur, positio totò, debere poni omnes partes, & idcirco eodem etiam modo explicanda est, quò prior.

II. Nempè, absolutè vera est de toto essentiali: quemadmodum ut homo sit, necesse est, & animam & corpus eum habere; ut syllogismus sit, oportet adesse medium & duo extrema, eorumque legitimam dispositionem.

III. De toto universalis alia est ratio. Utenim genus sit in rerum naturâ, non necesse est,

est, ut
sed sicut

IV.

loqui d
in Reg
mam er
necesse
dum est
princip
omnes p
oportet
necesse
enim v
reat.

V. J

Positio to
admod
ritur, u
sed & ce
ratione

Subla

I. Ex
te, quat
tia sumi
atur, ne
particu
tia totiu
mâ part

est, ut omnes species sunt in rerum naturâ, sed sufficit, si una sit.

IV. De toto integrali etiam possumus loqui de tribus illis modis, quos posuimus in Regulâ præcedenti. Secundum primam enim considerationem posito toto non necesse est, omnes partes poni, sed distinguendum est inter partes principales & minus principales. & posito toto, necesse est quidem, omnes partes principales poni, (ut si homo sit, oportet, cor habeat, cerebrum, &c.) sed non necesse est, poni etiam minus principales. Potest enim v.g. homo esse, et si manu aut pede careat.

V. Juxta secundam considerationem. Posito toto necesse est, omnes poni partes: quemadmodum ut sit animal cornutum, requiritur, ut non modò membra principalia, sed & cornua habeat. De tertiâ consideratione, consule Regulam præcedentem.

REGULA XV.

Sublatò totò, non necesse est tolli omnes partes.

I. Excipiendum videtur totum simile, quatenus significatur nómine ab essentiali sumtò. Ut enim lapis vel lignum destruitur, necesse est omnes ligni vel lapidis particulas destrui. Et ratio est, quia essentialia totius similis in quâlibet etiam minimâ parte consistere,

II. Dixi.

II. Dixi quantum significatur nomine ab essentia sumto, seu, quatenus totum secundum essentiam significatur. Nam dantur nomina, quæ significant totum integrale, ut officium quoddam, aut figuram, aut aggregationem partium important: qualia sunt, fistula, vena, mare &c. Totum integrale enim, quatenus huiusmodi nominibus significatur, ut non sit, non necesse est, ut omnes partes non sint, sicut e. c. fistula non est amplius, quando fracta est, etiam si partes super sint

Regularum Philosophicarum,

DISPUTATIO. XII.

continens

REGULAS XVI.

pertinentes ad doctrinam

GENERIS ET SPECIEI.

PRæcedenti Disputatione primario spectavimus totum essenziale & integrale; nunc proponemus Regulas, totum universale & partes ejus, quæ subjective dicuntur, concernentes. Est autem totum universale genus respectu specierum & individuorum, ut & species respectu individuorum. Pars subjectiva est species & individuum respectu generis, ut & individuum respectu speciei.

RE-

Genus

I. Si
I. S. 2. p
nus, pri
sunt eju
nus, au
cidente
genus va
luptas r
est, bonn
nim de o
dicatur.

II. 3
nus, est
specie,
accipi
notion
rialiter
nibus.
pradic
non ef
tio: sp
pta de
genus
via est h
speciei